



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 258. Quid circa pauperes sit notandum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42561

quamdiu vis frui Matrimonio, tamdiu utere jejunio: quòd autem non obligetur, si incidere in morbum, ideo est, quia jejunium tum illi esset graviter noxium aut moraliter impossibile, uti supponitur, tum autem non obligat Ecclesia: Vide tamen iterum dicta p. 1. n. 439.

Q. 258. Quid circa pauperes sit notandum. R. 1321
Seqq.

§. 1. Pauperes tenentur jejunare eo die, quo simul habent plenum prandium, nisi ex præcedente inediâ ita essent debilitati, ut jejunium commodè ferre non possent, ita *Sanch. in Conf. l. 5. c. 1. dub. 15. Lez. aliique cum Steph. t. 1. d. 5. n. 130.* Pro prandio tamen debito non sufficiunt panis, olera & fructus, uti docent *Sanch. Angles, Pasq.* aliique apud *Dian. in Comp. v. Jejunium, n. 14.* Neque solus panis & vinum, inquit *Tamb. in Dec. l. 4. c. 5. §. 7. n. 34.*, sufficerent tamen pro uno vel altero die, uti notant *idem Tamb. & Steph. supra.* Addit *Pasq.* ad debitam ejusmodi refectionem requiri, ut pro potu adsit vinum vel saltem cerevisia, ubi non adest vinum, sed *Diana p. 10. t. 12. R. 25. & t. 16. R. 77.* aliique contradicunt, quia potest, per se loquendo, sine tali potu consistere plena refectio.

§. 2. Toleratur apud nos consuetudo, inquit 1322
Laym. l. 4. t. 8. c. 3. n. 3., ut reliquiæ carniū, quæ in Bacchanalibus non sunt absumptæ, dentur pauperibus absumendæ.

§. 3. Qui pro sufficiente refectione non ha- 1323
bet cibos esuriales, potest ova, aut his deficientibus carnes comedere, quia benigna mater

Ggg 2

Eccle.

Ecclesia non censetur velle totâ die ad panem ,
 aquam & pauca legumina adstringere, *Sanch. Di-*
an. & alii : quod multi cum *Vidald.* & *Pasq.* de-
 cif. 49. dicunt etiam de divite, qui ad hospitium
 venit, in quo haberi non possunt cibi esuriales ,
 negant tamen hoc *Leand. Diana* p. 10. t. 14. R. 59.
Steph. n. 96., si tantum uno die non haberet alios
 cibos præter panem , nisi esset persona delicata
 aut è contrâ valde robusta, quæ sine carne com-
 modè saturari non posset.

1324 Q. 259. An excusetur, qui magnam in jejunio
 sentit difficultatem, vel jejunans dormire non potest.
 R.

§. 1. *Med. & Fill.* t. 27. p. 2. n. 125 simplici-
 ter negant aliquem excusari ob difficultatem ,
 quia finis jejunii est mortificatio, quæ est victo-
 ria difficultatis : è contrâ *Bonac.* in Decal. d. ult.
 q. 1. p. ult. n. 15. simpliciter affirmat, quia ma-
 gna difficultas videtur æquivalere magno in-
 commodo, quod à tali lege humana excusat ;
 neque opus est incommodum magnum esse
 præsens, sed satis est rationabiliter timeri, in-
 quit *Tamb.* n. 14., qui tamen postea n. 47. cum
Pasq. decis. 296. probabiliùs sic distinguit, si dif-
 ficultas oriatur ex habitu vitioso, v. g. intempe-
 rantix, tenetur hanc vincere & jejunare, ob ra-
 tionem *Fill.*; si autem oriatur ex naturali con-
 ditione stomachi nimis calidi & voracis, potest
 sumere, quantum sufficit ad temperandum
 hoc grave incommodum, ob rationem *Bonac.*
 Similiter si quis nimiam difficultatem haberet
 ob debilitatem stomachi, deberet manè sumere
 aliquid per modum medicinæ, nec ideo impedi-
 retur